



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**S. Avrelii Avgvstini Hipponensis Episcopi Et S. R. E.
Doctoris Vita**

Lancilottus, Corneille

Antverpiæ, 1616

Cap. XXIX. Obfirmato animo fidem Catholicam amplectitur, Baptismum tamen differt, quia nutat circa vitæ statum, sæcularèmne an Religiosum sequatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42857

CAPVT XXVIII.

Lectione Epistolarum D. Pauli confirmatur in fide.

Lib. 7. Cō-
fess. cap. 21

Facies sacra
Scriptura
uniformis.

Recēns con-
uersis velut
lacte opus.

HVNC in finem auidissimè Libros sacros, ac præ reliquis Paulinas epistolas, peruoluit. *Et perierunt illa quæstiones, in quibus aliquando ei visus est aduersari sibi, & non congruere testimonijs Legis & Prophetarum textus sermonum eius. Et apparuit ei una facies, visulque fuit vniformis contextus eloquiorum castorum; & exultare cum tremore didicit.* Et quidquid in illâ Platoniorum doctrinâ verum legerat, id totum, Dei benignitate, in Paulinis Epistolis reperit; quæ ab hisce caducis rebus fortiter eum auocabant, demulcebantque legentis animum cælesti quadâ dulcedine, quæ non rarò solet è vitiorum cœno erutos diuinitus afficere, quò ad hoc velut succo lacteo prouocati, solidis demum cibis acquiescât.

CAPVT XXIX.

Obfirmato animo fidem Catholicam amplectitur; Baptismum tamen differt, quia nūtat circa vitæ statum, secularē nē an Religiosum sequatur.

POST diligentem quæstionem, variam collationem, ac frequentes errorum circui-

circuitus, ad extremum obfirmato animo Catholicam veritatem est amplexus: vtpote per lucem illam diuinam ac incommutabilem, quam in mentis raptu fuerat contemplatus, perque cælestis gratiæ subsidia, quibus illuminato mentis oculo, melioris vitæ remoras omnes abiicit. Quamobrem gratitudinis ergo ad Deum verius; *Perfundantur*, ait, *ossa mea Deus meus dilectione tuâ; & dicant, Domine quis similis tibi*, talis ac tantæ beneficentiæ comparatione? *Dirupisti vincula mea, sacrificem tibi hostiam laudis*. Quemadmodum autem ijs tunc ipsum vinculis expedierit, atque perpetuæ damnationis labyrintho eduxerit, perlubenter velut in totius orbis terrarum amplissimo theatro spectandus ab omnibus confiteatur, vt omnes Christianæ pietatis amatores, cum hæc referri audiunt, diuinum numen vnà cum eo deprædicent. Inhæserat iam profundius animo eius sermo diuinus, & circumuallabatur beneficiorum eius, supernæ præsertim lucis, affluentia, quâ cunctatum penitus absterse sunt dubitationum nebule circa Religionis Orthodoxæ sententiam; quamuis non circa viuendi in eâ rationem, cœnobiticam videlicet aut sæcularem, delectus ab eo factus esset. Nam eatenus fluctuabatur animo, nutabantque eius

Lib. 8. Cō-
fess. cap. 1.

Conuersio-
nis Augu-
stini series.

Lib. 8. Cō-
fess. cap. 1.

*Baptismi
remora, vi-
ta seu sta-
tus electio.
Lib. 8. c. 6.*

*Supr. lib. 8.
Confess.
Varij in Ec-
clesiâ homi-
num status.*

*Via placet,
sed eius an-
gustia dis-
plicent.*

*Lib. 8. c. 8.
Confess. cap. 1.*

eius variè consilia, nec quid omnino arri-
peret, satis dispiciebat. Ac propterea quoti-
die crebris suspirijs frequentabat Ecclē-
siam, quantum tamen à sæculariū vacabat
seruitute negotiorū. Quamquam enim de
veritate iam omnino certus esset, adeò vt
de Religione sincerâ nullatenus dubitaret;
in coniugij tamen ac cœlibatus velut biuio
dubius consistebat: rationem interim com-
modiūs Deo seruiendi, & certius ad salu-
tem pertingendi seriò inuestigabat, maxi-
mè cum aduerteret, in viâ Dei aliter atque
aliter homines ambulare: ac nonnullos qui-
dem matrimonio velut sarcinâ impeditos
lentiūs pergere, nonnullos verò propter
cœlibatum velut onere liberos, expeditiūs
contendere; ceterùm alios æternis ijsque
cœlestibus rebus præcipuè vacare; alios au-
tem Christiano nomine parum dignos, ca-
ducis hisce rebus affixos, occupari Princi-
pum captandis fauoribus, atque adeò ni-
dorem aularum sectari. *Placebat quidem
via, Redemptor ipse, sed ire per eius angustias*
(quę sunt Euangelicę perfectionis consilia)
adhuc pigebat; ad quas tamen cū à Deo
blandiusculè inuitaretur, semisauciam huc
illucque voluntatem inflectebat, nunc eò
conuersus idemtidem, nunc auersus. Affi-
ciebatur enim non parum Religiosæ per-
fectio-

fectionis margarita quam inuenerat excellentiâ, sed eam venditis omnibus quæ habebat, emere adhuc dubitabat. Inter hæc displicebat ei quidquid agebat in sæculo, fiebatque onerosum valdè, quòd iam expeditior esset ab hisce vinculis, quibus alligari solebat libenter potius quàm inuitè. Nec enim iam cupiditatibus, vt prius, inflammabatur ad tolerandam illam seruitutem vitæ sæcularis grauem atque permolestam. Non amplius eum illa delectabant præ dulcedine ^{seruitus} ^{vita sacræ} ^{laris molæ} ^{st.} Dei, & decore domus eius, quam amore longè maiori prosequabatur. Verùm id temporis coniugia non parum eum sollicitabant, atque à vouendæ castitatis proposito detrahebant; maximè cum nec Christus ipse, nec Apostolus id fieri prohiberet, qui dumtaxat exhortatur ad id quod est præstabilius, factuque gloriosius: vtpote desiderans ceteros homines exemplo sui cælibem vitam amplecti, eâque mansionem in illâ supremâ felicitate digniorem consequi; quam tamen Augustinus velut infirmior, relinquebat se perfectioribus, humiliorem locum impetrasse contentus. Atque ita hæctenus placebat illi Catholica Religio, tametsi voluntas noua, quâ cœperat affici, vt Deum gratis coleret, eoque frui vellet, nondum esset idonea ad superandum

E prio-

priorem inueteratam voluntatem.

*Lueta spi-
ritus &
carnis.*

*Lib. 8. Cō-
fess. cap. 5.
Nulla nunc
amplius
mundum
deserendi
Augustino
excusatio.*

Diuerſa penitus deſideria; nouum alte-
rum, alterum vetus; hoc corporis, iſtud ſpi-
ritus inter ſe conſigebant: nec immeritò
(fatetur) *cū peccantem iuſta pœna ſequa-
tur*. Et ſubdit: *Non erat iam vlla excuſatio,
quã videri mihi ſolebam, propterea nondum
me contempto ſeculo ſeruire tibi, quia incerta
mihi eſſet perceptio veritatis, iam enim &
iſta certa erat. Ego autem adhuc terrã obli-
gatus, militare tibi recuſabam, & impedi-
mentis omnibus ſic timebam expediri, quem-
admodum impediri timendum eſt. Ita ſarcinã
ſæculi (velut homo aſſolet) dulciter premebar;
& cogitationes quibus meditabar in te, ſimi-
les erant conatibus expergiſci volentium, qui
tamen ſuperati ſoporis altitudine remergun-
tur: certus enim, eſſe melius tuæ charitati me
dedere, quàm meæ cupiditati cedere, nihilomi-
nũs herebam. Sed illud placebat, & vincebat;
hoc libebat, & vinciebat.*

*In vita de-
lectu, tardi
animi ſimi-
litudo pul-
era.*

CAPVT XXX.

*Augustinus B. Simplicianum de vitæ ſtatu
conſulturus adit.*

*Lib. 8. Cō-
fess. cap. 2.*

IN hunc modum cum animo luçtatus, ad
Præſulem adiit Ambroſium; qui pro
temporis anguſtijs eum benè ſperare iu-
bens, ad Simplicianum remiſit, quem &
ipſe-